



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni  
Bredenbachij S. Th. D.||**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae Agrippinae, 1592**

**VD16 B 7378**

13. De decem fratribus, qui maledicto matris horribili quatiebantur tremore membrorum, quorum duo ad memoriam S. Stephani venientes, oratione ibidem fusa, liberati sunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65002)

clausis ingressum fuisse non credunt. Sed hec certe querant, & si verum inuenerint, illa credant. Clarissima scemina est, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat: ampla ciuitas, ampla persona, rem querentes latere non sinunt. Martyr certe ipse, quo impetrante illa sanata est, in filium permanentis virginis credidit, in eum, qui ostiis clausis ad discipulos ingressus est, credidit. Postremo, propter quod omnia ista dicuntur à nobis, in eum, qui adscendit in caelum cum carne qua resurrexerat, credidit: & ideo per eum tanta fiunt, quia pro ista fide animam posuit suam.

*Augustinus ibidem de decem fratribus, qui maledicto matris horribili quatiebantur tremore membrorum, quorum duo ad memoriam S. Stephani venientes, oratione ibidem suscipi, liberati sunt.*

## CAP. XIII.

**V**Num est quod apud nos factum, non maius quam illa quae dixi, sed tam clarum atque illustre miraculum, ut nullum arbitretur Hipponensium esse, qui hoc vel non viderit, vel didicerit: nullam qui obliuisci vllatione poterit. Decem quidam fratres fuerunt, quorum septem sunt mares, tres sceminae, de Caesarea Cappadociae suorum Cuium non ignobiles: maledicto matris recentis patris eorum obitu destituta, quae iniuriam sibi ab eis factam acerbissime tulit, tali poena sum

diuinitus coerciti, ut horribiliter quaterentur  
 omnes tremore membrorum in qua scodissi-  
 ma specie oculos suorum Ciuium non feren-  
 tes, quaquauerfum cuique visum est, toto pe-  
 nē vagabantur vrbe Romano. Ex his etiam  
 ad nos venerunt duo frater & soror, Paulus &  
 Palladia, multis aliis locis miseria diffaman-  
 te iam cogniti. Venerunt autem ante Pascha  
 formē dies quindecim, Ecclesiam quotidie, &  
 in ea memoriam gloriosissimi Stephani fre-  
 quentabant orantes, vt iam sibi placaretur  
 Deus, & salutem pristinam redderet. Et illic,  
 & quacunq; ibant, conuertebant in se ciui-  
 tatis ad spectum. Nonnulli, qui eos albi vide-  
 rant, causamq; tremoris eorum nouerant, alijs  
 vt cuique poterant, indicabant. Venit Pascha,  
 atque ipso die Dominico mane cum iam fre-  
 quens populus presens esset, & loci sancti can-  
 cellos, vbi martyrium erat, idem iuuenis o-  
 rans teneret, repente prostratus est, & dormi-  
 enti similis iacuit: non tamen tremens, si-  
 cut etiam per somnium solebat, stupentibus  
 qui aderant, atque alijs pauentibus, alijs do-  
 leantibus, cum eum quidem vellent erigere,  
 nonnulli prohibuerunt, sed potius exitum spe-  
 ctandum esse dixerunt. Et ecce surrexit, & nō  
 tremebat, quoniam sanatus erat, stabat in colu-  
 lumis, intuens intuentes. Quis ergo intuenti-  
 um serenuit a laudibus Dei? Clamantium gra-  
 tulantiumque vocibus Ecclesia vsquequaque  
 comple-

404 COLLATION. SACRA  
completa est. Inde ad me curritur, ubi sedebam  
iam processurus: irruit alter quisque post alterum,  
omnis posterior quasi nouum, quod alius prior  
dixerat nunciantes. Meque gaudentes, & apud me  
gratias Deo agente, ingreditur etiam ipse cum  
pluribus, inclinatur ad genua mea, erigitur ad  
oseulum meum. Procedimus ad populum, plena  
erat Ecclesia, personabat vocibus gaudiorum: Deo  
gratias, Deo laudes, nemine tacente, hinc atque  
inde clamantium. Salutaui populum, & rursus  
eodem sermone re voce clamabant. Facto tandem  
silētio, scripturarum diuinarum sunt lecta  
solemnia. Vbi autem ventum est ad mei sermonis  
locum, dixi pauca, pro tempore, & pro illius  
iucunditate latitiæ, Magis enim eos in opere  
diuino, quam in eloquentiam non audire, sed  
considerare permisi. Nobiscum homo prauus  
dit, & diligenter nobis omnem suam ac mater-  
næ fraternæque calamitatis indicauit historiam,  
sequenti itaque die post sermonem redditum,  
narrationis eius libellum in crastinum populo  
recitandum promisi, quod cum ex Dominico  
Paschæ die tertio fieret in gradibus exedrae,  
in qua de superiore loquebar loco, feci stare  
ambos fratres, cum eorum legeretur libellus.  
Intuebatur populus vniuersus, sexus utriusque,  
vnum stantem sine deformi motu, alterum  
membris omnibus cōtremementem. Et qui ipsum  
non viderant, quid in eo diuine fecit

fericordiae factum esset, in eius sorore cerne-  
 bant. Videbant enim quid in eo gratulandum,  
 quid pro illa esset orandum. Inter hæc rocita-  
 torum libello, de conspectu populi eos abi-  
 re præcepi: & de tota ipsa causa aliquantò di-  
 ligentius cœperam disputare, cum ecce me  
 disputante, voces aliæ de memoria martyris  
 noue gratulationis audiuntur. Conuersi sunt  
 eò qui me audiebant, cœperuntque concu-  
 rere. Illa enim ubi de gradibus descendit, in  
 quibus steterat: ad sanctum martyrem orare  
 perrexit. Quæ mox ut cancellos attigit, col-  
 lapsa similiter velut ad somnum sana surre-  
 xit. Dum ergo requireremus, quid factum fue-  
 rit, vnde iste strepitus lætus exstiterit, ingres-  
 si sunt cum illa in basilicam ubi eramus, ad-  
 ducentes eam sanam de martyris loco. Tum  
 verò tantus ab viroque sexu admirationis cla-  
 mor exortus est, ut vox cõtinuata cum lachry-  
 mis non videretur posse finiri. Perducta est  
 ad eum locum, ubi paulò ante steterat tremēs.  
 Exultabant eam similem fratri factam, cui do-  
 luerant remansisse dissimilem. Et nondum fu-  
 sas preces pro illa, iam tamen præuiam volun-  
 tatem tam citò exauditam esse cernebant. Ex-  
 sultabant in Dei laudem voces sine verbis tan-  
 to sonitu, quantum aures nostræ vix ferre po-  
 tuissent. Quid ergò in cordibus exsultantium,  
 nisi fides Christi, pro qua Stephani sanguis ef-  
 fusus est?

Ex parte sermonum D. Augustini, opera Ioannis  
Vlimmerij editorum Lapanij anno 1564.

Exemplar libelli (cuius in precedenti capite sit men-  
tio) dati à Paulo, sancto Augustino Episcopo.

Rogo Domine beatissim. Papa. Augustine, ut hunc  
libellum meum, quem ex prece pro tuo obtuli, sancta  
plebi iubeas recitari.

Quum adhuc in patria nostra Casarea Cap-  
padocie moraremur, frater noster natu maiore  
grauibus atque intolerandis communem mo-  
trem affectit iniurijs, in tantum vt ei etiam mo-  
nus non dubitaret inferre. Quod nos omnes  
filij pariter congregati patienter tulimus, vt  
ne verbum quidem fratri nostro pro matre  
nostra, cur hoc faceret, dixerimus. Illa autem  
femine doloris stimulis incitata, inuideo-  
sum filium maledicendo punire constituit.  
Quumque ad sacri baptismatis fontem post  
gallorum cantus memorato filio suo ita Deo  
imprecatura properaret: tunc ei nescio quis in  
patruj nostri similitudine, vt intelligitur, da-  
mon occurrit, & ab ea prior quò pegeret, re-  
quisiuit. Cui ille, ad maledicendum filio suo  
ob intolerabilem contumeliam, se ire respon-  
dit. Tunc autem ille inimicus, quoniam in mu-  
lieris corde insaniens locum facile inuenit.  
potuit, vt omnibus malediceret, persuasit. Il-  
la autem viperis inflammata consilijs, sacri  
fontem prouoluta corripuit, & sparsis crim-  
ibus, nudatisq; vberibus hoc à Deo potissimum  
pela



postulavit, ut extorres patria, & circumeuntes  
alienas terras, omne hominum genus nostro  
terremus exemplo. Mox maternas preces ef-  
ficax vindicta prosequitur: eundemque con-  
tinuo fratrem nostrum ætate culpaque maio-  
rem tremor membrorum tantus inuasit, quan-  
tum in me usque; ante hoc triduum vestra san-  
ctitas vidit. Seruato autem ordine, quo nati e-  
ramus, intra unum annum eadem nos poena  
omnes corripuit. Videns autem mater male-  
dictiones suas ad tantam efficaciam peruenis-  
se, impietatis suæ conscientium & opprobriū  
hominum diutius ferre non potuit: sed laqueo  
guttur austringens, luctuosam vitam termino  
funestiore conclusit. Egredi ergo nos omnes  
opprobrium nostrum non ferentes, & com-  
munem patriam relinquentes, passim sumus  
per diuersa dispersi. Ex nobis autem omnibus  
decem fratribus, qui nascendi quoque ordine  
primū sequitur, ad gloriosi martyris Laurē-  
tij memoriam, quæ apud Rauennā nuper col-  
locata est, sicut audiimus, meruit sanitatem.  
Ego autem qui nascendi ordine sum sextus e-  
orum, cum hac sorore mea, quæ me ætate sub-  
sequitur, vbi cū que gentium, vbi cū que ter-  
rarū loca esse sacra, in quibus operaretur Deus  
miracula comperissem, magno desiderate sa-  
nitatis amore carpebam iter. Sed ut de cæteris  
celeberrimis sanctorum locis taceam, etiā  
ad Anconam Italiæ ciuitatem, vbi per glorio-  
siss.

tissimum martyrem Stephanum multa mi-  
 cula Dominus operatur, eadē circuitione pe-  
 ueni. Sed ideo alibi curari nō potui, quia huic  
 loco diuina prędestinatione seruabat. Nec V-  
 zalem ciuitatem Africę prętermisi, vbi beatus  
 martyr Stephanus magna prędicatur frequen-  
 ter operari. Verum tamen ante hos tres mēses,  
 id est Calendarum Iuniarum die, tam ego  
 quā soror mea, quę hic mecum est, eadē  
 adhuc passioni detenta, euidenti sumus visio-  
 ne cōmoniti. Ait enim mihi ad spectu clarus,  
 & candido crine venerabilis, quod intra ter-  
 tum mensem esset mihi sanitas affutura. Soror  
 autem meę in visione sanctitas tuā in ea effi-  
 gie, in qua te pręsentem videmus, apparuit per  
 quod nobis significatum est, ad istum lo-  
 cum nos venire debuisse. Nam & ego beatus  
 dinem tuam sępius postea videbam per alias  
 ciuitates in itinere quō veniebamus talē pro-  
 fus, qualem modō conspicio. Admoniti ergo  
 euidenti autoritate diuina, ad hanc venimus  
 ciuitatem ante dies ferme quindecim passio-  
 nis meę vel oculi vestri, testes sunt vel misera-  
 bilis soror mea, quę ad eruditionem omni-  
 communis mali prębet exemplum, et qui in  
 illa, qualis ego fuerim, vident, in me quantum  
 per Spiritum sanctum suum Dominus sit op-  
 ratus, agnoscat. Orabam ego quotidie cur  
 magis lachrymis in loco, vbi est memor  
 gloriosissimi martyris Stephani. Dic autē  
 Don



Dominico Pascha, sicut alii, qui praesentes erant, viderant, dum orans cum magno fletu caecos teneo, subito cecidi. Alienatus a sensu, ubi fuerim nescio. Post paululum assurrexi, & illum tremore in corpore meo non inveni. Huic igitur tanto beneficio non ingratus, hunc libellum obtuli. In quo etiam, quae de nostris calamitatibus ignorabatis, & quod de mea incolumitate & salute cognouistis, exhibui: ut pro mea sorore orare dignemini, & pro me agere Deo gratias.

*Gregorius Turonen. de gloria Confessorum cap. 69.  
De populo Rhemensis, qui sciencie lue inguinaria assumpta de S. Remigij sepulchro pallam cum crucibus, & cereis per omnes vrbs vicos religiose circumferentes, immunes ab ea peste permanserunt.*

## CAP. IIII.

**C**UM lues inguinaria populum primae Germaniae deuastaret atque omnes huius cladis auditu terrentur, concurrerit Rhemensium populus ad sancti Remigij sepulchrum, congruum huius causae flagitare remedium. Accensis cereis lychnisque non paucis, Hymnis, Psalmisque caelestibus per rotam excubat noctem. Mane autem facto, quid adhuc precaturi desit, in tractatu rimatur, reperiuntque; reuelante Deo, qualiter oratione praemissa, adhuc maiori propugnaculo vrbs propugnacula munirentur. Assumpta igitur pallam de beati sepulchro, componunt in modum

S fere-